

exsolvere non sufficimus. Datum apud Nussiam¹ XXII. die Octobris, indiccione prima, rengni² nostri anno primo³.

III.

Die Stadt Rom meldet Richard, erwähltem König der Römer, dass sie ihn zum Herrn auf Lebenszeit gewählt, und beglaubigt Gesandte [1261, etwa April⁴].

Illustri viro et excellentissimo domino R., Dei gracia in regem Romanorum⁵ electo, suo per omnia domino et benefactori precipuo, A. de tali regione et B. de tali regione et C. de tali regione et ceteri populares Urbani et cives Romani, sui fideles ac devoti, recommendationem et debite fidelitatis pureque devotionis obsequium. Cum Romanorum conditio felix pre cunctis⁶ nationibus consequitur⁷, ac ab ipsa Urbis fundatione per celestis dispensationem consilii et providentie humane industriam prerogativa fuerit multiplici predotata, que tanquam celestis thesauraria apostolorum corpora et gloriosos confessores in se continet et gubernat, in ea eciam viget sedes Imperii et gaudet thronus apostolice dignitatis. Igitur ad creatricem imperii, matrem regnorum, capud mundi, bonitatis exemplum, speculum omnium civitatum, videlicet dominam Romam, quilibet mundi principes famosi, nobiles et potentes omnesque in gentes, et precipue in Romano imperio, principatum habentes debent reverenter et mentis scincere² affectu quamtocius aspirare, per quam muniuntur regna, gubernatur Imperium et cuiuslibet principis solium exaltatur; quia mater nobilis et excelsa domina patienter pati non potest nec valet equo animo tollerare, ut qui eam sui honoris genitricem cognoscunt ab ea scincero non diligantur affectu, eosque tanquam filios sub alis sue potencie foveat et ad favorem votivi suffragii et desiderati auxilii velud natos proprios non admittat, et quos concipit in affectu, parit per effectum, foveat per exquisita suffragia, nutrit, augmentat et exaltat et facit, utpote sui ventris fructum, in sede sui imperii gloriosius residere. Nam si predecessorum vestrorum⁸ gesta attenditis, videbitis per aciem propriam et experientiam manifestam, quod omnes qui eam pro matre habuerint, pro genitrice honoraverint, Romanos⁹ suos filios ex affectu intimo et grata benivolencia dilexerunt, prostratis rebellibus, conculcatis hostibus, undique provinciis¹⁰ regni regimen¹¹ et imperii solium potenter et virtuosius extulerunt; nec mirum, cum vires potentialiter et vigores per capud tanquam per radices et inexhaustum fontem ad

1) 'Nusmā' c. 2) Sic c. 3) Folgt von späterer Hand ein Stück über Localeintheilung Irlands. 4) Cf. Ficker, Reg. imp. V, nr. 5386 b.
5) 'Romanū' c. 6) 'cuntis' c. 7) 'privilegium' scheint zu ergänzen.
8) 'nostrorum' c. 9) 'Romonos' c. 10) 'pacificatis' scheint zu ergänzen.
11) 'regimen' c.